14



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigesimâ quintâ Februarii 1706.

M. MICHAELE SAUVALE,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An morbi omnes omnibus fiant temporibus?

I.



ERIS nobis ineſt neceſſitas, ut eo deſtituti, ne breve quidem tempus vivere poſſimus: ab eo tamen interdùm non minùs, quàm à quâvis inſalubri causâ lædimur, dummodò calidior, aut frigidior,

aut vitiosâ qualitate infestus, periculosos invehit morbos, & tum præsertim, cum magnæ & repentinæ in eo fiunt mutationes.

I I.

HINC austrinâ constitutione caput repletur, caligo oculorum, auditùs gravitas, mentis & corporis torpor & pigrities generatur, & multis, putredinis affertur occasio; Aquiloniâ vero tusses, raucedines, urinæ difficultates, costarum & thoracis dolores excitantur.

I I I.

VER quamvis temperatum saluberrimum, dum corpus variis humoribus repurgare conatur, interdùm maniam, epilepsiam, hæmorragiam, phlegmones, catharrhos, impetigines, arthritidem: æstas, biliosos affectus, & ardentes tertianas febres, erisipelata: autumnus melancholicos morbos, asthmata, tabem, dysenteriam, lienteriam: hyems nervis & cerebro inimica, pituitosos morbos parit.

I V.

CUIQUE etiam ætati suæ insunt familiares affectiones, nam pueruli recens nati, aphtis, vomitu, pavoribus, comitiali morbo vexantur: Paulò grandiores, gingivarum prurigine, febribus, convulsionibus, diarrhoeâ. Qui pubertati sunt pro-

ximi calculis, aſthmate, lumbricis; tonſillis, & multis tuberculis: Poſt pubertatem, hæmorragiâ juvenes, ſanguinis ſputo, tabe, febribus acutis: declinantes ætate melancholicis, & ſenes pituitoſis affectibus cruciari ſolent.

V.

MORBI, qui ferè omnes ab aere & victu proficiſcuntur, non ſtatim, quamvis ſuam ſecùm habeant præſentem cauſam, quibuſque imprimuntur corporibus, ſed ad horum generationem plurimum facit corporum afficiendorum præparatio, quorum, cum omni ætate multa ſit in temperie varietas, nihil mirum ſi diverſis, & qui tempori & ætati non videantur convenire, corripiantur morbis.

Ergò morbi omnes omnibus fiunt temporibus.

Proponebat Pariſiis JOANNES FRANCISCUS COUTHIER, Vitellenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.